DE HYOSCYAMO. CAP. CCCXXII.

NOMINA.

Altercum.

Hyoſcyamon unde dictum.

ΥΟΣΚΥΑΜΟΣ Græcis, Hyoſcyamus, Apollinaris Latinis dicitur. Arabibus Plinius Altercū uocari teſtatur. Officinis corrupta uoce Iuſquiamus dicitur. Germanis Bilſamkraut/uel ſimpliciter Bilſen. Hyoſcyamon autem Græci uidentur appellare quaſi fabam ſuillam aprinámue, quòd, ut in hiſtoria ſua Helianus inquit, paſtu huius herbę conuellantur ſues apriue, præſenti mortis periculo, niſi copioſa aqua ſtatim ſe foris & intus proluerint. Adeuntq; aquas non ut proluant ſe tantum, uerumetiam ut cancros uenentur: ĩſs enim nactis protinus ſanitati reſtituuntur. Atque hinc eſt quod à nonnullis etiam

Apollinaris.

Germanis Sewbon nominetur. Apollinarem uerò Latini ab Apolline medicinæ inuentore dixerunt.

GENERA.

Niger Hyoſcyamus.

Tria ſunt Hyoſcyami genera. Vnum purpureos fert flores, folia Smilaci ſimilia, ſemen nigrum, cytinos duros & ſpinoſos. Hoc nigrum herbarĩ appellant. Alterũ

Flauus.

Albus.

flores luteos ceu mâli effigie, folia & ſiliquas teneriores, ſemen ſubflauũ ceu Irionis flauum uocant. Et hoc eſt quod pictum damus. Tertium utile ad medicinam, placidiſsimum exiſtens, pingue, tenerum, lanuginoſum, flore & ſemine candido: album nominant. Quod ſi uerò illud non adſit, utendum flauo erit. Nigrum ut deterrimum improbandum.

FORMA.

Frutex eſt caules emittens craſſos, folia lata, oblonga, inciſa, nigra, hirſuta. Per caulem deinceps flores prodeunt ueluti mâli punici cytini, clypeolis ſepti, ſemine, ut Papaueris, plenis. Quid multa? frutex eſt triſti aſpectu, folio lato, longo, pingui,
D hirſuto, uenoſo, & laciniato: caulibus craſsis, è quorum latere flores prodeunt tanquam mâlorum punicorum cytini, muricatis calycibus, ramos continua ſerie ueſtientibus, ſemine intus Papaueris refertis.

LOCVS.

Primum genus in Galatia naſcitur. Alterum paſsim circa littora, & inter ruinas & rudera prouenit. Tertium in maritimis & ruderibus.

TEMPVS.

Semen nullum niſi poſtquam inaruerit legendum. Floret ferè per integrã æſtatem, potiſsimum Iulio menſe.

TEMPERAMENTVM.

Candidus ex tertio qudammodo ordine refrigerantium eſt. Reliqua duo genera uenenoſa.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Exprimitur ſuccus ex tenero ſemine, folijs, caulibusq;, in quem uſum tunduntur omnia, expreſſusq; in ſole ſiccatur. Vſus eius ad annum uſq;: facilè enim putreſcit. Exprimitur priuatim etiam ſuccus ex arido ſemine, aqua calida perfuſo, tuſo & expreſſo. Eſt uerò ſuccus liquore pręſtantior, & magis dolores finit. Herba autem uirens contuſa, & trimeſtri farinæ mixta in paſtillos cõformatur & recondítur. Prior uerò ſucci expreſsio, & quod à ſicco ſemine exprimitur, collyrijs dolorem lenientibus cõmodè miſcetur, & contra acres calidasq; fluxiones, dolores aurium, & uuluæ uitia. Cum farina autem aut polenta, contra oculorũ, pedum, aliasq; inflammationes. Semen eadem poteſt. Facit ad tuſsim, deſtillationẽ, oculorum fluxionẽ, uehementes dolores, muliebria profluuia, aliasq; ſanguinis eruptiones, oboli pondere cum Papaueris ſemine, & aqua mulſa potum. Confert podagris, teſtibus inflatis, mammisq; à partu turgentibus, ſi tritum cum uino illinitur. Miſcetur utiliter & alijs cataplaſmatis dolorem leuantibus. Folia omnibus medicamentis dolorem ſedantibus, per ſe, & cum polenta mixta utiliter illinuntur. Recentia ad mitigandos

omnes

HYOSCYAMVS
FLAVVS.